





DE
CONIVNCTIONE
LEGATARIORVM

AD §. VIII. INSTITVT. DE LEGATIS

PRAESIDE

CHRISTIANO HANACCIO

IURIVM DOCTORE, DIGEST. INFORT. ET NOV. PROF.
PVBL. ORDIN. CVRIAE PROVINC. SCABIN. FACVLT.
IVRID. ASSESSORE

PRO GRADV IURIVM DOCTORIS

RITE LEGITIMEQVE IMPETRANDO

IN AVDITORIO MAIORI

ACADEMIAE VITEMBERGENSIS

DIE XXVIII MARTII A. E. M. ∞ IOCCCLVII

HORIS ANTE ET POST MERIDIEM. CONSVETIS

PVBLICE DISPVTABIT

AVCTOR

M. CAROLVS BENIAMINVS ACOLVTHVS

IUR. CAND. NOTAR. PVBL. CAES. ITEMQVE ORDINIS PHILOSOPH.
ASSESSOR ORD. ET ACAD. SCIENTIAR. VTIL. ELECT.
MOGVNT. SOCIVS ORDIN.

EX OFFICINA IOAN. SAM. GERDESII

10

CONVENTIONE
RE CATARUM M

CHRISTIANO HANAUERIO

PRO GRADU IURIVM DOCTORIS

ACADEMIAE VITTEBERGENSIS

M. CAROLUS HANAUERIVS






Q. D. B. V.

D E

CONIUNCTIONE LEGATARIORVM.




§. VIII. INSTITVT. DE LEGATIS.



i eadem res duobus legata sit, siue coniunctim, siue disiunctim: si ambo perueniant ad legatum, scinditur inter eos legatum. Si alter deficiat, quia aut spreuerit legatum, aut viuo testatore, decesserit, vel alio quoquo modo defecerit, totum ad collegatarium pertinet. Coniunctim autem legatur, veluti si quis dicat: Titio et Seio hominem Stichum do, lego. Disiunctim ita: Titio, hominem Stichum do, lego. Sed et si expresserit eundem hominem Stichum, aequè disiunctim legatum intelligitur.

A 2

§. I.




§. I.

INSTITVTI RATIO.

Lex, quam in fronte conspicias, B. L. animum nostrum excitauit, vt doctrinam, DE CONIUNCTIONE LEGATARIORVM, in praesenti dissertatione, attentiori studio inuestigaremus, tibi-que exhiberemus, ubi locum illa habeat, quibus ex uerbis dignoscatur, quo modo ab aliis coniunctionem generibus differat, quis effectus eius sit, cui competat, vnde originem trahat, et quae ceteroquin, ad institutum, luci suae reddendum, spectent. Cum vero ipsa res difficultate sua et scriptorum inopia laboret, a) aequus eris, nec sine humanitate, quae pauca haecce folia capere poterunt, perlustrabis.

a) Paucissimi sunt scriptores, qui ex instituto de coniunctione legatariorum, vel de iure collegatariorum, commentati sunt, ex quibus MERILLIVS est praecipuus, cuius *liber de coniunctione et iure accrescendi* proflat, apud OTTONEM, in *Thesauro Iuris Tom. IV.* Addi potest IOAN. FRANC. A RIPA in *leg. 89. D. de leg. III.* item IOAN. GAVDENTIVS in *eand. l.* Sed cum *ius accrescendi*, veluti effectus istius coniunctionis, a pluribus sit examinatum, atque illud, cum *coniunctionis doctrina*, arctissimo nexu cohaereat, quaedam passim in scriptoribus, de *iure accrescendi*, reperiuntur. Caeterum *ius coniunctionis et accrescendi* a nonnullis crux Ictorum, ab HOTOMANNO et VLTEIO, difficillimum et subtilissimum Iuris Caput, quo spinosius nullum est, et perplexius, vocatur, in huius ad §. *fin Inst. de donat.* illius vero *Illustr. quaest. 44.* Conf. WILLHELMI LVDWELLI *dissertatio, de iure accrescendi.*

§. II.



§. II.

DEFINITIO.

Cum omnis lex vix commodius, atque accuratius possit explicari, quam quidem ex natura et ambitu doctrinae, ad quam spectat, nostrum est, quid sit coniunctio legatariorum, praemissa definitione, exponere: Quamvis, de legatis, in genere differere, propterea non attineat, quoniam de ista re satis iam et vberime in doctorum scholis exponi solet. *Est autem coniunctio legatariorum species ultimae voluntatis, qua, defunctus, plures, testamenti factionem passuam habentes, certa loquendi varione, ad rem unam legatam, ab haerede praestandam, vocat, distributionem legitimam efficiens, et ius accrescendi.*

§. III.

CONIUNCTIO LEGATARIORVM EST SPECIES
ULTIMAE VOLVNTATIS.

Ultimae voluntatis speciem coniunctionem legatariorum appellamus: Siquidem, quasi sub genere, comprehenditur, atque testator vario modo de rebus suis disponere valet. Prisci quidem solo testamento hereditatem, legatorum nomine relinquere potuerunt, ^{a)} imo, quia hic actus testatio mentis est ultima, ^{b)} non valorem prius accipit, nisi morte testatoris. Vno igitur genere tantummodo legandi olim vti licuit: Ex quo vero legata multis modis a IUSTINIANO exaequata sunt, omnis etiam doctrina fere de testamentis mutata, ^{c)} imo quatuor modis

A 3

lega-

legare, concessum est, vel testamento, vel codicillis, vel ab intestato, vel epistola, ^{d)} aperte cognoscitur, hodie plures dari rationes, quibus ultimam voluntatem exprimere si libet, licet. Cum insuper, qui instituitur vel scribitur, ex arbitrio testatoris, vel haeres, vel legatarius, vel fideicommissarius esse possit, quos inter omnes adhuc hodie quoddam intercedere discrimen scimus, patet, institutionem, seu nominationem, collegatariorum, quam hic coniunctionem vocamus, *nomen speciei* ultimae voluntatis omnino mereri. Sed cur *ULTIMAE* voluntatis? Ratio eadem est, quae in testamentis, quod non, nisi morte testatoris valorem accipiat: ^{e)} quo vsque enim viuit testator, voluntas hominis ambulatoria, haeres pariter, atque legatarios, iam institutos, destituere et mutare omnino potest? Licet etiam hodierno iure ab intestato decedens, legata et fideicommissa relinquere possit, imo valida sint eiusmodi legata. *L. 18. pr. ff. ad Legem Falcid.* CARPZOV. *Dec. 147. in fine.* Attamen non alia ratione, quam, si addit *ultima* voluntas, valent, quod conici potest ex *§. 10. Institut. de fideicommiss.* vbi *morituro* ab intestato, legata condere permittitur. Ex his itaque sponte fluunt sequentia, I) coniunctionem legatariorum eadem facultate ac ratione fieri posse, qua fiunt reliquae voluntatis ultimae species, nisi expressa lex contrarium iubeat, II) legatarios coniunctos a quouis institui posse, qui voluntatem ultimam declarandi atque testandi habet potestatem, vel, vti in scholis ICtorum loquuntur, qui gaudet testamenti factione actiua III) coniunctionem legata-

gatariorum ex voluntate vltima testatoris diiudicandam sciteque explicandam esse. Nec obstat quorundam Doctorum opinio, qua coniunctionem personae et legis distinguunt: ea enim, quam *lex* constituit, non ad legatarios spectat, sed ad haeredes coniungendos. Contra vero, quam *hominis* vocant, quamque nostro sensu, speciem vltimae voluntatis nominamus, legatarios designat. Ad naturam vltimae voluntatis vero, duo in primis requiruntur, primum, vt exitum possit habere, deinde, vt mors testatoris sequatur. Ex duobus hisce requisitis legis nostrae verba intelligenda sunt: **AVT, VIVO TESTATORE, DECESSERIT**, latet nempe in his vtraque causa, cur non ad haeredes legatarii, sed ad collegatarium, pars deficiens legati pertineat. Testator enim adhuc vixit, igitur voluntas eius vigorem nondum accepit. Deinde exitum habere non potuit, siquidem is, quem vocauerat, morte ereptus est.

a) §. 10. *Inst. de fideic.*


b) *L. 1. ff. qui test. fac. poss. quodquis post mortem cer.*

c) *L. 120. ff. de V. S.* vestigia inueniuntur, quantum a *lege XII. Tabl.* ius legandi discesserit. conf. *L. 1. ff. ad Leg. Falcid.*

d) Qua de re §. 10. agetur.

e) Huic sententiae, nostrae quodammodo obesse videntur verba §. 14. *Inst. de leg.* Sed neque haec lex excludit mortem testatoris necessariam, nam, licet vile sit legatum debiti, cuius dies, viuo testatore, venit, attamen praesumitur semper conditio: Nisi mentem mutauerit testator: Quod vero cum fecerit, aliumque nominauerit legatarium, cui nihil debet, sane praesens §. *pbus* in utilitatem legatarii creditoris conuerti non poterit.

§. IV.



§. IV.

AD CONIUNCTIONEM LEGATARIORVM EFFI-
CIENDAM REQUIRITVR TESTATOR.

Non abs re est, etiam, de *testatore* agere, quem, in definitione nostra ad coniunctionem legatariorum adornandam, requisuimus. Dubium forsán quibusdam videbitur, utrum omnis, qui legata fieri vult, nomen testatoris mereatur, cum non solo testamento, sed ab intestato quoque, uti supra demonstrauimus, in codicillis etiam et epistola, quinque testibus munita, legata relinquuntur, contra vero testatoris nomen a testatione mentis, siue testandi facultate, i. e. testamenta condendi efficacia moribundis competere videatur. ^{a)} Sed cessabit dubium, si modo obseruabitur, duas hasce voces: *testari*, et *legare*, quam facpissime vnám eandemque in legibus significationem induere. Sic *legare* dicitur testator in antiquissimo *XII. Tabul. iure*, ^{b)} sic testatoris vox legantem designat *L. 47. pr. ff. de Legatis Libr. I.* sequitur exinde, etiam in nostra lege, *testatorem* eum esse, qui qualicunque modo voluntatem suam vltimam, de collegatariis, expresserit. At enim vero probe attendendum est, illud non tribui pluribus, sed *uni* tantum, eique soli. Accidit nimirum interdum, vt ad rem vnám, ex legato percipiendam, duo vocentur collegatarii, a duobus testatoribus, quae vero res, vt in legibus, ob aliam causam, parum habet fauoris, ^{c)} ita hic potissimum hoc subest incommodum, vt eiusmodi legatarii nunquam

quam iura et priuilegia coniunctorum legatariorum queant adipisci. Huc facit *lex 16. ff. quibus modis usufructus amittit.* Siquidem, quae, de diuersis testamentis, in hac lege iubentur, de diuersis testatoribus sunt intelligenda. Quod si igitur ab aliis, qui testatores non sunt, duo pluresque vocantur, qui rem vnā percipiant, neutiquam pro coniunctis collegatariis sunt reputandi, res licet ipsa, ad quam vocati sunt, a vocante ex haereditate aliqua, tanquam legatum, fuerit percepta. Cognoscitur, tandem, etiam ex legis nostrae verbis, neminem, nisi testatorem, legata posse ordinare. Prouti enim omnis fere Iurisprudencia antiquior Romana formulis solemnibus conficiebatur, ita etiam: *do, lego*, in lege nostra non donantis, non cedentis, nec alius, ius suum, sine respectu mortis, in alium transferentis, sed solius testatoris, verba et formulae, etiam in coniunctione legatariorum, fuerunt.

a) Hoc sensu *LIVIVS, Lib. I cap. 34. testari*, inquit.

b) *Vti quisquam legasset, de re sua, in ius esto. Nou. XXII. Cap. 2. Pater familias, vti super familia pecuniae legasset, in ius esto.* AUCTOR ad *HERENNIVM*.

c) Intentio testatorum est, ut aliquid gratis habeam, quod, si ex uno testamento mihi contigit, adimpleta est eorum uoluntas: Atque hinc leges, acquisitionem unius rei ex duplici titulo lucratiuo, non comprobant, vid. §. 6. *Inst. de legatis*, et quae *GVNDLINGIVS, ad h. l.* monuit.

d) Vir e. g. quidam honestus, potiori forsā iure, titulo honorabili haeres institui, sperans, hem, prohi dolor! aperto testamento, nil, nisi legatum, sibi relinqui, expertus est. Dolore igitur et ira concinatus, legatum recusauit, nec prius, quam precibus indefessis

haereditatis commotus, illud accepit, totum deinde in curiam deportavit, atque hunc in finem iudici tradidit, ut unicuique, ob delictum commissum virgis caeso, portio exinde tribueretur, usque dum legatum omne consumeretur. In hoc casu, coniuncti non sunt malefici hi, et virgis caesi, percipientes: licet ex re antea legata locupletiores fiant: quia hi non a testatore, neque testamento, siue ab herede, neque rem aliam, quam quae, legatarii acquisitione, desit esse legatum, accipiunt, sed singulari legatarii ingenio ac providentiae acceptum referunt.


§. V.

DE PLURALITATE LEGATARIORVM CONIUN-
GENDORVM.

Miraris forsan, nos ad coniunctionem in definitione exhibita, PLURES requisivisse, cum tamen lex proposita expressis verbis, de re, *duobus* tantummodo legata, loquatur. Equidem non negamus, vel vnum sufficere legatarium, in testamento. Hoc etiam concedimus, legatum, deficiente hoc unico legatario, haeredi accrescere: a) attamen, inter legatarium et haereditatem, ob hoc ius accrescendi, non statuenda est coniunctio. b) *Pluralitas* igitur, de qua hic nobis sermo, excludit haereditatem, atque, *solos duos omnino*, pluresue legatarios, postulat. Duo requiruntur in lege collegatarii, sed observandum est, dualem numerum, quam saepissime in legibus pluralitatem involvere. Sic, cum testes requiruntur duo expresse, verba legis plures admittunt. c) Sic *cap. 40. X. de regulis Iur.* pluralitatis locutionem duorum numero contentam esse, sine limi-

limitatione, praescribit, maiori tamen numero, si detur, haud excluso. Ita etiam collegatarii tres, quatuor et plures esse possunt, licet propositiones, quibus testator legatarios coniungit, quasque copiose, in legum ciuilium libris reperimus, de duobus plerumque loquantur. *d)* Qui vero coniungi volunt, illi omnes personas singulas repraesentant. Hanc obseruationem, si bene notaueris, sine vlllo negotio, quaestionem dirimere poteris, an legatum, vniuersitati relictum, singulis debeatur membris. Negamus illud. Quamuis enim plures sint, in vniuersitate, homines, iique ad rem vnam vocati videantur, non tamen singulae repraesentantur personae, sed, dum vniuersitatis membra sunt, omnes pro vnico duntaxat habentur homine ac legatario. Itaque coniunctio in ipsis nulla obtinet: in hoc etiam lex consentit: si quid vniuersitati debetur, vt illud singulis non debeatur. *e)*

- a)* Res per se clara est, nam portio deficiens ab intestato maneret, quapropter ad haereditatem necessario regredietur.
- b)* Ex eadem ratione, quia ex parte intestatus nemo esse potest, itaque haeres suo iure acquirit.
- c)* *L. 12. ff. de Testibus.*
- d)* Illud colligere licet ex *L. 66. ff. de haereditibus instit.* vbi tribus personis aequales ex haereditate portiones conceduntur, quamuis Titius Gaius et Maecius re coniunctus sit. *leg. vnic. C. de Cad. toll. §. 11.*
- e)* *L. 7. §. 1. ff. quod cuiuscunque Vniuers.* Ceterum duas posse coniungi vniuersitates, non dubito, si modo eadem fiat ratio, quem admodum alii duo homines collegatarii vocantur.



§. VI.

IN CONIUNCTIONE LEGATARIORVM ETIAM ATTENDENDVM EST, VTRVM OMNES TESTAMENTI FACTIONEM PASSIVAM HABEANT.

Quod, testator legitimus, legandi potestatem habeat, res comperta est, atque supra iamiam commemorata: *a)* appellatur haec potestas testamenti *factio* a DD. partim *actiua*, partim *passiua*. Sed altera hic altioris est indaginis, in coniunctione legatariorum, testamenti nempe *factio passiva*, i. e. potestas ex testamento, vel legato, aliquid, percipiendi. Quidam ab utraque excluduntur, quia vel incapaces sunt, vel indigni. *b)* Ambo male, et sine emolumento, coniunguntur legatis, quod ut illustremus, primi nominandi sunt omnes illi, qui, infcio testatore, in natura rerum, haud sunt, adeoque incapaces habentur. Permissum scilicet est, etiam incertos vocare legatarios, et ignotos, sed ita, ut aliquando certi possint fieri: Si igitur ex euentu comprobatum fuerit, legatarium in rerum natura nec esse, neque futurum esse, haec permissio applicari nequit, sed legatum pro non scripto habetur, neque ipsi coniunctus legatarius partem deficientis adipiscitur. *c)* Porro, neque olim seruis haeredum coniunctio concessa fuit, quia, dum acquisuerunt, non sibi, sed domino, quiuis seruis acquisiuit, eamque ob causam pro vna persona sunt habiti. *d)* Interdum indignis etiam legata ceduntur, qui vero ea percipere non possunt, sed fiscus haereditatem

tatem aufert. e) Per se clarum est, collegatarium indignum, et dignum simul coniunctos non esse, siquidem, qui dignus est, deficiente socio, nullum sentit commodum. f) Omnis vero haereditatis, quocunque demum veniat nomine, adempta est facultas, in primis collegiis illicitis, iudaicis, omnibusque conventionibus, scholis aliisque hominum confoederationibus, a quibus cum ecclesia, tum res publica sibi metuit, quibus constitutiones et pacta Imperii Romano-Germanici liberius religionis exercitium, et cultus publicos, aliaque molimina non concedunt, quas inter hodiernas sectas, e. g. Herrnhuthianorum, haud incommode iureque referre possemus. g) Veri igitur collegatarii non sunt, qui passiva testamenti factione destituuntur. Ex his, quae iam generatim diximus, de collegatariis, propter percipiendi impotentiam, cum potentioribus, ex iuris anteiustinianei consuetudine, non coniungendis, facile colligitur, LLtorem maximam habuisse rationem, deficientium omnium generum concinne satis mentionem faciendi: Apud veteres enim triplici modo deficere quis dicebatur, et ad hoc intendit IUSTINIANVS, verbis: *Si alter deficiat, quia aut spreuerit legatum, aut, viuo restatore, decesserit, vel alio quovqvo modo defecerit*, vt omnes sine exceptione, iure suo nouo, pro coniunctis declaret, atque eorum socios ad ius accrescendi admittat. Ita etiam DVARENVS legem nostram interpretatur. h)

e) Adde l. 2. ff. de Legat. r. sciendum est, eos demum fideicommissum posse relinquere, qui testandi ius habent.


- b) Vide quae de hac differentia egregie proponit MÜLLERVS, ad STRVV. Syntag. Iur. Ciu. P. 11. p. 859 §. 4. lit. v.
- c) §. 25. 27. *Institur. de Legat. l. 18. ff. de usu et usufr. leg. Conf. l. pen. ff. quae pro non scriptis habentur, l. 16. pr. ff. de Legat. 1. l. vn. §. 3. Cod. de Caduc. toll.*
- d) §. 3. *Inst. per quas pers. cuique acquir.* Seruo pure legari nequit. §. 32. *Inst. h. t.* Nemo etiam a se ipso legatum exigere potest, nec haeres et legatarius simul esse *l. 18. et l. 116. §. vlt. ff. de Legat. 1.* argumentari exinde licet, multo minus seruum et dominum collegatarios esse posse.
- e) Non vero omnium indignorum, sed eorum tantum, haereditatem et legata, fiscus sibi vindicat, qui turpi et probroso facto se indignos reddiderunt. Vid. *tot. Tit. ff. et Cod. de his quibus, ut indign. leg. 8. §. 14. ff. de iure fisci.*
- f) *L. 3. §. 3. ff. de Legat. praest. Sed et si coniunctim fuerit legatum relictum cum eo, cui non praestatur, sua tantum portio ei conseruabitur.*
- g) *L. 20. ff. de rebus dubiis*, verbis: *Nec illi tamen legatum debetur, cui fuerit ademptum et confer. l. 8. C. de haered. instit. Collegium si nullo, speciali privilegio subnixum sit, haereditatem capere non posse*, dubium non est.
- h) *In libro, de iure accrescendi, l. cap. 18.* Quod autem nos attinet, multas leges inprimis quam obseruatione f. exhibuimus, tam generali sensu cum DVARENO non omnibus coniunctionem concedere possumus, quorum socii quocumque modo a legato defecerunt, iudicio potius et arbitrio iudicis opus est, prouti deinde, vbi ius accrescendi expli- cabimus, pluribus erit monendum.

§. VII.

TESTATOR CERTA LOQVENDI RATIONE LEGATARIOS CONIUNGERE DEBET.

Quum certum illud sit, cuius non inuenitur contrarium, facile perspicitur, verba, quibus testator, in vocandis collegatariis,


tariis, vitur, necessario certa esse debere, nisi, voluntatem vltimam vano dedecorare sine velit. Non requirimus quidem solennia antiquorum Romanorum verba, *a)* de quibus quod sublata sint, constat: *b)* Interim vero ita loquatur testator, vt pateat quis? quid? et quomodo? ad coniunctionem legatariorum pertineat. Clarum igitur esto *quis?* vel *quinam* sint coniungendi, expresse indicatis vtriusque partis vel nominibus, vel signis euentissimis: Licet enim recentiori iure incertis personis legare concessum sit, attamen antea haud de coniunctione constet, quam si ex persona incerta, certa facta fuerit. Repetat igitur lector ea, quae supra, de factione testamenti passiva, monuimus. Porro clarum esto ex testatoris verbis, *quomodo* sint coniungendi, atque hanc, quae multis difficillima videtur, quae factionem, paucissimis hisce regulis obseruatis, sine multo negotio expediemus. Diuidunt omnes collegatarios in tres classes, secundum satis antiquam Ictorum consuetudinem. *c)* *VNA* est eorum, qui *RE* coniunguntur, *ALIA* est, qui *VEREIS*, *TERTIA*, quae vtriusque modi coniunctiones continet, et *MIXTA*, dicitur. Lex quidem nostra inter coniunctos et disiunctos discrimen indicat, quae vero diuisio tunc optime poterit cognosci, si prius tria haecce genera explicauerimus. Omnis dissimilis ratio ex *propositionibus*, quibus testator vitur, cognoscitur. Si igitur 1) plures legatarios, 2) ad rem vnam, 3) diuersis propositionibus, vocauerit, per se clarum est, hosce collegatarios *RE* coniunctos esse, quoad propositiones enim solum separantur. Sic in lege
 nostra



nostra Titius et Seius omnino sunt re coniuncti: Seruus enim, quem accipiunt, est res illa *vnica*, ad quam *utroque* vocatus est: Cum vero testator eos duabus propositionibus (quemlibet scilicet singulari propositione) instituerit, disiuncti sunt, quoad verba. Sic etiam in reliquis classibus coniunctorum semper inuenire licet rem vnā, semper plures legatarios, sola differentia classis, propositionum varietate, indicatur. Sic **VERBIS** coniuncti sunt, si, 1) in eadem propositione indicatur, 2) rem 3) aequis paribus esse diuidendam: Verba enim hic adfunt coniunctionis, res vero separandae videntur *l. 89. ff. De legat. 3.* Si tandem oratio sit simplicissima ita, vt neque partes sint determinatae, nec quilibet legatariorum singulari propositione vocetur, coniunctio oritur **MIXTA**. Ex his itaque confici videbitur, coniunctionem legatariorum fieri et *coniungendo* et *disiungendo*. *Coniunctim* vocati, omnis generis collegatarii sunt, intuitu, scilicet, rei, quam testator legauit: quorsum etiam spectat, quae de mixtim coniunctis diximus. Criterium huius coniunctionis particulae coniungendi exhibent, e. gr. *et, cum, l. 36. §. 2. Dig. de Legat. 1. Disiunctim* coniuncti in **primis** dicuntur ii, qui singuli, singulis enunciationibus, separatim ad eandem rem, vocantur. *l. 1. §. interdum &c. ff. de iure accres. l. vn. Cod. de caduc. toll.* Ergo re pariter, atque verbis coniuncti, loco hoc quasi in testamento disiuncti, dici merentur. Deinde e mixtim coniunctis, disiuncti sunt, illi quibus solidum, de quo deinceps dicimus, relinquitur. Vix commemorari potest, quantis con-
ten-

tionibus multi Ictorum de duabus hisce voculis, inter se disceptauerint. ^{d)} Si vero dicendum, quod res est, in ipsa coniunctionis materia, tota diuisio in *coniunctim* et *disiunctim* coniunctos facta, omnesque lites exinde oriundae, parum aut nihil faciunt, praesertim hodie, vbi in tot portiones legatum diuiditur, quot propositiones, in diuersas personas directae, in vltima voluntate inueniuntur. In iure accrescendi, ex veterum placidis enucleando, plus adhuc habet commodi: qua de re vero iam non agimus. ^{e)} Cum igitur, tanta oriatur differentia, ex varia pronuntiatione testatoris, cumque vna quaeque classis alio iure gaudeat: Quilibet perspiciet, nos nihil iniusti a testatore postulasse, si verba certa, non ambigua, ab ipso exposcimus. Est etiam haec ratio, cur certa verba requiramus, vt cognosci possit, numne legare, aut fideicommissa constituere, voluerit testator.

a) Instituebant nimirum Romani legatarios suos omnes, (quod vi legis, et tanquam imperantes faciebant,) quatuor modis, quorum quilibet solemnia eademque clara ac perspicua verba requirebat. Legatum VINDICATIONIS terminos habebat: *sumito, habeto*, VLPIANVS *fragm. 24. §. 3.* DAMNATIONIS, vocibus, *damnas esto*, fiebat, VLPIAN. *ibid* SINENDI modo nominabatur verbis, *damnas esto finire cel.* VLPIAN. *ibid.* Per PRAECEPTIONEM legabatur ita, P. S. T. Q. H. i. e. *praecipio sumito tibi que habeto.* VLPIAN. *fragm. 24.* Ast non pro lubitu quouisicumque modo legandi, vti licebat, sed vel praescribebatur iure Quiritium *cic. pro Muren. Cap. XII.* vel rei legandae circumstantiis determinabatur. Sic damnatione omnes res, etiam alienae, si modo praestari potuerunt, legabantur finendi modo, res propriae testatoris et haeredis: Vide praesertim VLPIAN. et CAII *institur. sub legatis.* Vnum est atque illud non



omittendum, in modo vindicationis in primis ius accrescendi locum obtinuisse, qua de re egregie *Emundus MERILLIUS, de iure accrescendi, agit, Cap. 6.*

b) Vid. quae de mutatione iuris veteris legandi, annotauimus.

c) *L. 142. ff. de verbor. signif. verbis init.*

d) Qui controuersias haec, tanquam in compendio, conspiciere studet, in primis adeat *WILH. LUDWELLI Dissertat. de iure accresc. Dresdae recusatam, 1680. Qu. 14. sqq. usque ad 20.*

e) Vid. eundem *LUDWELLVM §. 12. sqq.*

§. VIII.

LEGATARIII IN RE VNA DEBENT CONIUNGI.

Quemadmodum verba certa, ita etiam res certa esse debet, nisi frustra legatarios coniunctos scripserimus. a) Rem incertam legat, qui non vnicam legat, atque hoc variis modis fieri potest, vel, si partes rei loco determinet, et quidem distincte, ita vt quaeuis pars certo assignetur legatario. b) Eiusmodi non sunt coniuncti, siquidem non amplius adest res vna: sed partes rei diuisae, singulas res, nouas, repraesentant. c) Si decesserit eiusmodi legatarius, pars eius socio non accrescit, sed haeredi. Sic, qui fundum legauit, eiusque anteriorem partem *CATIO* concessit, posteriorem *MAEVIO*, duos haec legatarios non coniunxit, quod coniiicimus ex *l. 7. §. 4. ff. de usufr. accresc.* Multo minus hi coniuncti sunt, quibus res diuersae legantur, quales sunt fundi legatum et usufructus. Sic quibus



) o (




bus testator destinavit certam pecuniam numero expressum non sunt coniuncti, licet omnes, ex vna summa destinatum accipiant legatum. ^{d)} Quod vero iamiam de re vnica commentati sumus, efficit, vt intelligatur, cur lege nostra IVSTINIANVS satis caute EANDEM REM expresse nominauerit.

- a) *In legatis autem multum refert, in resne certas, an incertas, diuisio fiat, vt coniuncti dicantur legatarii, inquit DVARENVS, de iure accresc. Lib. 1. Cap. 4.*
- b) *L. 1. pr. ff. de usufr. accresc.*
- c) *L. 84. §. 12. ff. de Legat. 1. et L. 23. in fine Cod. De Legat.*
- d) De vnitae rei in hac coniunctione obseruanda plura vide in PETERI MÜLLERI *additionibus ad* GEORG. ADAMI STRYVII *Syntagma Iur. Ciu. P. II. p. 879. §. 23. lit. a.*

§. IX.

CONIUNCTIO LEGATARIORVM HAEREDEM
OMNIBVS OBLIGATVM EFFICIT.

Cum testator propterea legauerit, vt locupletiores ex vna re collegatarii fierent, et haeres aditione obligetur, ex quasi contractu, ad praestanda legata, illud etiam, de collegatariis, coniunctis, satis commode interpretamur: Qui enim aequali ratione vocantur, aequale etiam habeant ius, necesse est. Secus se res haber, si duobus legatariis vna eademque res, a diuersis haeredibus, praestanda, legetur, quod quidem, de usufructu, legibus sancitum est, sed a ICIS ad legatarios in genere extenditur. Cessat hic ius accrescendi, cessat etiam coniunctio. ^{a)}



Sed videndum est *quando* haeres collegatariis debeat. Fit illud simul, atque haereditatem adierit: Sed cum legatum diem habeat cedentem ex tempore mortis in legato puro, ^{b)} atque hic ius ad legatum habeat, qui eo tempore requisitis legatarii gaudet, illud etiam collegatariis ex aequo iure competit. Qua propter *Lex 24. ff. de Legat. praest.* eodem die liberos pro coniunctis haberi debere, praescribit: vnde ob eandem legis rationem hoc beneficium nostris quoque legato coniunctis hominibus utile esse arbitramur. ^{c)}

^{a)} *L. pen. ff. de usufr. accresc.* laudatur etiam *IVBERVS, in praelect.* ad *Instit. b. Tit. §. 7.*

^{b)} *L. 5. §. 1. ff. quando dies legat. cedat.*

^{c)} Verba legis ita se habent: *Placet sufficere in ea necessitudine tunc eos esse, quando dies legati cedit.*

§. X.

TESTATOR LEGATARIOS AD CONIUNCTIONEM VOCAT.

Voluntas testatoris, verbis expressa, illud est, quod coniungit legatarios. *VOCARE* igitur testator dicitur, qui legatarios instituit, vel, si mauis, nominat. Ratio est, quod nemo ex suo arbitrio, et non inuitatus legatum possit inire, quod seculus est in haereditate, vbi plures heredes, sine vocatione, i. e. ab intestato, haereditatem coniunctim adire possunt. Pro coniunctione legatariorum igitur, cum illa a facto alterius dependeat,

deat, iura ordinarie non concedunt praesumptionem, nec iudex, nec lex legatarios coniungere potest. Et quamuis, ab intestato legata fieri, supra concesserimus, illud tamen aduersus nos non pugnat, siquidem, nisi testator legatarium vel moriens ad lectum vocauerit, et, praesente haerede, ab intestato, ipsi legatum promiserit, vel alia eiusmodi vocandi ratione fuerit usus, frustra quiuus legatum, et coniunctionem ambiens, litem mouebit. ^{a)} Potest autem collegatarius vocari a testatore I) in testamento, ita, vt vel haeredi iniungat legatum soluere, vel rem legandam verbis, destinationem inuoluentibus, legatario relinquat. Imo, vtroque modo recte legari et recte coniungi, affirmamus. Illud, etiam II) codicillis fieri potest, quod *ex Lege 1. Cod. de codicillis* argumentamur. ^{b)} III) ab intestato decedens facit legatum, si scilicet haeredi praesenti testator legati praestationem iniungat: §. 12. *Inst. de fideicom. hereditar. l. fin. C. de fideicom.* Obtinet hoc praesertim in Saxonia, paullo emendatius, vbi *Dec. Nou. XI. de an. 1746. von Vermächtnissen, so in des Erben Gegenwart geschehen*, priuilegium conceditur, praesente haerede atque duobus testibus, legandi: Neque reuocari potest eiusmodi legatum, nisi coram quinque testibus. ^{c)} IV) Vocatur etiam epistola, quam testator post mortem suam aperiri, mandauit, vel ad absentes etiam dimisit. ^{d)} Praeterea V) alium modum legandi, qui nutu fit, leges etiam legitimae vocationi annumerant, de quo vero vtrum coniunctionem efficere possit dubitamus, propter nimiam eius simplicitate.

citatem, qua vix vnus legatarius recte indicari potest: Multo minus igitur, duo aut plures quomodo coniungi debeant, exinde poterit perspicui.

- a) Testatorem dolo aut vi impedire, quo minus testari possit, sub graui poena, et amissione haereditatis, legibus, prohibitum est. Quapropter vel ob hanc rationem legatarius non pro rite vocato habendus est, qui, proteruis vsus machinationibus, legatum accepit. Causa, cur male, vel non vocatus, legato sit indignus, consequenter coniungi non possit, haec est: quod non sua quisquis, sed aliena, voluntate opus habeat. Efficax autem satis est testatoris legantis, voluntas, quippe qui quasi imperat: ecquis vero legatarius legislatores, cuius instar est testator, in vilitatem suam, verbis factisue, corrumpere tentet impune?
- b) *Verba ita se habent: Praetor nihil, contra ius fecit, si, fideicommissum, ut ex codicillis relictum, praestandum esse, pronunciauit.*
- c) Haec autem sunt decisionis verba, wenn ein Testator in Gegenwart des Erben iemand etwas vermacht, siehet diesem frey, ob er solches durch 2 Zeugen, so dabey zugegen gewesen, erweisen, oder auch dem Erben darüber den Eyd deferiren wolke, und hat dagegen weder die Gewissens-Vertretung noch Eydes-Relation statt, es mag auch dergleichen Vermächtniß anderer gestalt nicht, als in 5 Zeugen Gegenwart revocirt werden.
- d) Ad hanc epistolam Doctores duo requisita desiderant, vt 1) ad haereditatem, legatarium cer. sit directa, et 2) quinque testibus sit confecta praesentibus. Vide hac de re LVD. MENCKENII *Systema Iuris Ciuil.* cura CHRISTIANI SCHOEN p. 524. Confer. l. 75. ff. de legat. 2. et l. 22. Cod. de fideicommiss. vbi etiam nutus, tanquam modus ad legatum vocandi, indicatur.

§. XI.

CONIUNCTIO LEGATARIORVM EFFICIT REI
LEGATAE DISTRIBUTIONEM
LEGITIMAM.

Accedimus ad effectum coniunctionis legatariorum, qui quidem in eo consistit, vt legatarii locupletiores fiant, quamvis non titulo honorabili. In coniunctione vero, cum plures intersint personae, et vna tantum res, locupletiores illi fiunt, vel, dum omnes, secundum Sphi nostri verba, *ad legatum perveniunt*, vel dum, *alter deficit*. Hac ratione nititur *ius accrescendi*, quod partem superstitem locupletiolem reddit, quodque deinceps paucis verbis explicabimus: Illa vero existente, *distributio* oritur. Legitimam appellauimus hanc distributionem, eo quidem sensu, quo plures res in iure ita nominari solent: nimirum *quod lege vel constitutum, vel confirmatum, vel permissum est, legitimum audit*. Igitur distributionem legatariorum inter coniunctos eadem appellatione gaudere, nemo negabit, qui, ipsam tot legibus, imo nostro Spho sustineri, animaduertet. Non obstat, quod supra monuimus, coniunctionem legatariorum a voluntate hominis dependere: homo enim coniungit quidem, sed lex hoc fieri permittit, ac distribuit inter coniunctos. Quo modo distribuatur res legata, multis verbis, multisque contentionibus ICi olim disceptarunt, et, quis qualesque partes, quis solidum, ab initio, vel postea habeat, variis obuoluerunt dubiis. *) Haec vero lis facile dirimitur, si modo


do

do attendatur I.) ad rem legatam, vtrum consistat in solido illoque natura sua, vel indiuiduo, vel, quod admittat diuisionem, an vero speciem, an genus contineat, an summa constet, seu quantitate, eaque vel multiplicata, vel in specie indicata, II.) Ad verba testatoris, quibus coniunxit legatarios. Agamus igitur I. de re legata, distribuenda. Affirmamus, cuiusuis testatoris intentionem esse, vt quiuis legatarius ex coniunctis, percipiat, qua fieri potest, legatum. Nisi enim hoc voluisset, alia instituendi ratione fuisset vsus, quam coniunctione, neque rem vnam nominasset, sed cuius tantum portionem singularem constituisset. ^{b)} Adque huc usque homo de rebus suis legare valet. Cum vero non omne quod totum legatur, multis, omnibus et singulis quidem semper sit vtile, adeoque partem, quiuis suam exoptet, en, accessit, diuisitque lex, inter concurrentes, legatum. Si fiat concursus in re indiuidua, distinguendum est, vtrum rem, salua eius substantia, inter se commode partiri possint collegatarii. Hoc si fieri potest, ius, vt arbitrator, ita dicendum erit, vt collegatariorum quisque ipsius rei ratam percipiat, suam, non vero aestimationem. Si vero res legata, vnus tantum possessionem ac proprietatem permittat, nec cum omnibus ac singulis collegatariis physica aut ciuili ratione peraeque communicari queat, consultius duco, vni rem, reliquis aestimationem, iudicis officio, praestari. Hinc veteres, in solidum ^{c)} neminem, excluso videlicet iudicis officio, coniungi posse existimarunt. Verum electio rei legatae,

tae, vel pretii eiusdem conceditur illi, qui litem prius contestatus est. *f*) Aliter se res habet, vbi legatum diuidi potest, quemadmodum quantitas legata diiudicanda est, e. gr. mille imperiales. Hic videndum est ad uerba testatoris, vtrum multiplicauerit quantitatem, i. e. an cuius legatario mille imperiales destinauerit, quo facto collegatarii non sunt, nec coniunctionis iura habent. Si appareat ex verbis testatoris, illum non tot millia, quot legatarii sunt, sed mille tantum, (eandem igitur rem,) imperialium, inter coniunctos, distribui voluisse, lex nostra valet, atque mille imperiales in tot reducuntur partes, quot coniunguntur legatarii. *g*) Deinde vero respiciendum quoque est, in distributione rei legatae, II. ad verba testatoris, ex his enim colligi vel conici debet, I.) quot in partes diuertendum sit legatum, 2.) vtrum vera adsit coniunctio, quod aptis verbis collectiuus germanice expressa. Quod autem reliquum est, ad distributionem nihil facit, an coniunctio, damnatione, vel alio modo, siue disiunctim, siue coniunctim, siue quibuscunque verbis facta sit, sed legatum inter eos legitime distribuitur, vti lex nostra praecipit: Partes vero *viriles* vocantur, et his quidem, in aequales partes legatum diuiditur.

a) Vide DVARENVM ET LVDVELLYM, CUIACIUM, TREUTLERVM, pluresque, de iure accrescendi, *partim singularibus libris, partim in aliis exercitationibus iuris*, agentes.

b) Solidum in iure nonnunquam idem est, ac integrum, atque hoc sensu hic occurrit. Interdum partes viriles designat *l. 5. D. de fideiussores*. Natura autem sua oppositos in solidum et in partem



tem l. 10. §. 2. de damno infecto l. 11. et 21. ff. de legatis 3. In coniunctione legatariorum, res quae coniunguntur, solitum repraesentant. l. 80. ff. de legatis 3. Coniunctim haeredes institui, aut coniunctim legari, hoc est, totam haereditatem et tota legata singulis data esse, partes autem concursu fieri.

c) Vide ea, quae de testatore vocante superiori Sp̄ho monuimus.

d) e. gr. Caius Titio, et Sempronio aedes suas legauit coniunctim, in solidum. Cum haec ita sint comparatae ut uterque collegatarius illas inhabitare satis commode possit, adeoque, aedes illae salua sua substantia, utriusque legatario communi vsui esse queant; forsitan in hunc modum pronuntiandum esse, videtur: daß, da nach des Testirers deutlich geäußerten Willen, Titius und Sempronius das ihnen vermachte Haus haben sollen, vor beyde auch ein gemeinschaftlicher Gebrauch süsslich statt finden kann, so mag einen jeden im Fall nicht Mißhelligkeiten und Unfriede unter ihnen zu befahren, sich solches seines Rechts zu gebrauchen, wohl frey stehen, und keiner, wider den Willen, den Werth solches legati anzunehmen, gehalten seyn &c.

e) Vide DVARENVM Libro de iure accrescendi, supra laudato.

f) l. 33. ff. de legatis l. electione rei. vel pretii, seruanda ei, qui prior de legato litem contestatus est.

g) Vide MÜLLERVM, ad STRVVI Syntagma Iur. Ciu. d. l. c.

h) l. 19. §. f. ff. de legatis l. l. 23. C. de legatis.

§. XII.

CONIUNCTIO LEGATARIORVM GIGNIT IVS ACCRESCENDI.

Postquam igitur dictum est, quid, existente utroque collegatario, iuris sit, agendum nunc quoque est, quid legibus nostris consentaneum sit, uno deficiente. Apparet vero ex lege

lege nostra, deficiente altero, totum ad collegatarium pertinere, atque hoc ius *accrescendi* dicitur. Datur autem duplex accrescendi ius, vnum, quod coniunctione efficitur, alterum quod cum ea nihil habet commercii. Hoc inter haeredes coniunctos, vno deficiente, obtinet, ubi haereditatis pars deficiens ad superstitem pervenit, quod exinde fluit, quia haeres superstes ab vna parte intestatus esse nequit. Si igitur plures sunt haeredes superstites coniunguntur ita, ut pars deficiens cuius, pro quantitate sibi relicta, accrescat. Illud est, quod tanquam effectus coniunctionis a nobis iam iam consideratur, quo etiam legatarii, non coniuncti, minime gaudent. Interdum etiam ius coniunctionis dicitur, quamvis illud minime accurate fieri, propterea credamus, quod coniunctio, uti demonstratum est, differat a iure accrescendi, et singulare ius sit utrumque. In hoc decidendo, veteres accurate ad modum legandi, vel vindicationis, vel alium attenderunt; si quidem non ubique ius sequebatur accrescendi. Hodie cuius, in solidum coniuncto, illud competere ex lege nostra constat, mixtim enim coniuncti, pariter, atque re solum coniuncti, *Stichum* acquirunt *rotum*, iure accrescendi. Ex eadem ratione Facult. Vitemb. duos, re coniunctos, morte deficiente tertio legatario, iure accrescendi haud destituendos esse censuit Mens. Ian. 1756. quia antecessit coniunctio in testamento verbis. Rationes decidendi hic apponere attinet: **hiernächst die Worte des Testaments klare Masse geben, daß denen in §po 4. benannten drey Personen, zusammen**

men 600. Gulden, als ein Legatum sind beschieden, und nur bey der Execution derer Theile gedacht worden, folglich der Testator ihnen Solidum legiret, dergestalt, daß, wenn alle drey concurrirret hätten, sie partes concursu gemacht haben würden, auch daher, denen Rechten nach pro re coniunctis

L. 80. D. de leg. 3.

L. 3. D. de Vsufr. accersc.

welchen das Ius accrescendi unstreitig zukommt, zu achten sind,

Si enim omnes perueniant ad legatum, scinditur inter eos legatum, si vnus vel alter deficiat, quia aut spreuerit legatum, aut viuo testatore decesserit, vel alio quolibet modo defecerit, totum ad collegatarium pertinet,

§. 8. Inst. de leg. ibique Vinnius,

welches auf gleiche Weise auch in legato quantitatis,

reste Sandio Lib. IV. Tit IV. Definit. 7. Decis. Frisicarum, statt hat.

Si vna eademque Summa duobus legata sit, vt si testator dixerit, Titio et Maenio quatuor millia do lego, hi coniuncti sunt et inter eos ius accrescendi locum habet.

L. 15. §. 1. D. de leg. I.

L. 48. §. 12. D. de leg. I.

Caeterum vero, quum, de iure accrescendi scribere noluerimus, eos, qui reliqua, huc spectantia, scire cupiunt, ad eius

com

commentatores dimitimus, praecipue vero ad **LVDWEL-**
LVM, toties iam a nobis laudatum. Vide igitur **L. B.** con-
 iunctionem legatariorum locum habere, volente vno testa-
 tore, eoque vocante; dignosci a simplici legato, verbis et
 particulis, certis propositionibus comprehensis, atque, tripli-
 cem classem *effici* constituentibus; non confundendam esse cum
 coniunctione testamentaria haeredum, neque poena coniunctis,
 competere neque omnibus, quos ad rem vnicam ex legato percipi-
 endam, vocauit testator. De *origine* vero eius pauca haec adhuc
 dabimus; coniunctionem, scilicet legatariorum, tam antiquam
 esse, quam potestatem legatarios vocandi: Nec vllum inueniri ve-
 stigium, vbi discrimen ita factum sit, vt quidam legare et coniun-
 gere, iubeantur, quidam ex vno prohibeantur. Igitur statim, popu-
 lo Romano oriente, saltem **XII.** Tabularum legibus introductis,
 magis consuetam magisque confirmatam fuisse hanc potesta-
 tem, opinamur. Ius accrescendi vero, ab hoc dependens, aemu-
 lum iuri accrescendi haereditario, atque eandem ob rationem legi-
 bus confirmatum esse, credimus, vt, prouti in haereditate nemo
 ab vna parte intestatus esse potest, ita neque in legato
Solidi, illud permittatur, ne scilicet pars legati, deficiente
 collegatario, non legata maneret. Mirum itaque videtur, cum
 quidam eruditorum, in odium legis **Papiae Poppaeae**, ius acere-
 scendi inuentum esse, perhibeant. Verum est, caduca, hoc est
 haereditates, quarum deficit haeres, fisco fuisse vindicata: Sed
 hoc non perpetuo factum esse, nec ius accrescendi, multum



antiquius lege Papia expulsus et irritum factum, sed indignorum, eorumque potissimum, qui studio coelibatus se dederunt, bona, fisco mancipata fuisse, multis verbis et eruditissime explicarunt, *Emundus MERILLIVS in Libro de iure accrescendi et coniunctionis Cap. VII. Et Iohannes Gottlieb. HEINECCIUS in Commentario ad legem Iuliam et Papiam Poppaeam,* a) qui liber insignis eruditionis, prodiit Amstelodami in Quarto, MDCCXXXI. atque haec dixisse et institui causa, attulisse, sufficiant, quibus in praefamine nostro promissa, pro libelli capacitate impleuimus.

a) Laudantur imprimis *CONRADVS RITTERSHVSIVS* in Commentario ad Institutiones et *IOANN. IOACHIM. SCHOEFFER*, quos viros optime et, reliquis scriptoribus, accuratius, ius accrescendi exposuisse, *NICOLAUS HIERON. GYNDLINGIVS* ad *Pandectas P. II. pag. 1910.* refert.



Wittenberg, Diss., 1756-58



156





B.I.G.

Black
3/Color
White
Magenta
Red
Yellow
Green
Cyan
Blue

Farbkarte #13

Inches
Centimetres

DE
CONIVNCTIONE
LEGATARIORVM

1757 6 8
16
15

AD §. VIII. INSTITVT. DE LEGATIS

PRAESIDE
CHRISTIANO HANACCIO
RIVM DOCTORE, DIGEST. INFORT. ET NOV. PROF.
PVBL. ORDIN. CVRIAE PROVINC. SCABIN. FACVLT.
IVRID. ASSESSORE

GRADV IVRIVM DOCTORIS
RITE LEGITIMEQVE IMPETRANDO
IN AUDITORIO MAIORI

ADEMIAE VITEMBERGENSIS
DIE XXVIII MARTII A. E. M. MDCCLVII
RIS ANTE ET POST MERIDIEM. CONSVETIS
PVBLICE DISPVTABIT

AVCTOR
CAROLVS BENIAMINVS ACOLVTHVS
CAND. NOTAR. PVBL. CAES. ITEMQVE ORDINIS PHILOSOPH.
ASSESSOR ORD. ET ACAD. SCIENTIAR. VTIL. ELECT.
MOGVNT. SOCIVS ORDIN.

EX OFFICINA IOAN. SAM. GERDESII.